

Petrus, non solum magna fide, ac obedientia credidit, sed etiam alto ore Christum Jesum esse filium Dei confessus est. At Caiphas dum illud divinum, ac sublime oraculum audit, graviter offenditur, furore, ac rabie agitatus vestimenta dilacerat, *Natib. 27. n. 65.* Quenam hujus tantae diversitatis causa? Erat Petrus uter novus, erat Caiphas uter vetus. Petrus uter novus gratia Spiritus S. renovatus; ideo illud novum assertum valuit capere, & recipere, illoque magnos fructus edere: Caiphas vero uter perantiquus vetustate consumptus, ideo illud novum vinum divinae veritatis inebrians homines non potuit percipere, sed statim dirumpitur, ac scinditur. O utinam hoc malum in Calpha finem suum haberet, sed forte non desunt aliqui, ita antiquitati inhaerentes, quod dum aliquid novi audiunt etiam firmissima veritate solidatum, statim rumpuntur, ac contumeliosis verbis rejiciunt, sibi persuadentes, nihil novum posse melius inveniri.

Tertio: Paschas. lib. 5. in *Matth.* cum D. Hilar. hoc etiam interpretatur de Eucharistico vino, & sic ait: *Et quia novi Testamenti est, non nisi ab innovatis, qui sunt sine veteris peccati communicatur, hoc novum vinum Christi non capitur ab hominibus, qui in vetustate veteris hominis inveterascunt, sed tantum ab innovatis in spiritu & gratia.*

Quarto: In eadem sententia Card. Hugo inquit, cur sanguis Christi dicatur potius vinum novum, quam vetus. Optime respondet: *Novum quia calidus est per charitatem.* Vinum novum, est sanguis Christi in hoc Sacramento, quia eximia charitate fervidus, ac calidus est, & effluit de venis divini amoris igne succensis.

Animus de veteris veteris peccati non capit excellentias divinae gratiae.

Que sunt nova non statim recitanda, sed examinandum, an sint solida.

35. D. Paschas. Ad Eucharistiam recitandam veteris peccati deponenda.

36. Hugo. Eucharistia procedit ex vehementi amore.

CAPUT XXIX.

Archisynagogi filia resuscitatur.

Matth. 9. n. 18. Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet.

Ibid. num. 19. Et surgens Jesus sequebatur eum, & discipuli ejus.

VERSIONES.

Vatablus. Ecce primas quidam venit, & adoravit eum.
Euthymius. Sed profectus impone manum.
Pagninus. Sed profectus impone manum.
Syriacus, n. 19. Jesus, ac discipuli ejus abierunt post eum.

ALTER TEXTUS.

Marc. n. 5. 2. 2. Et venit quidam de Archisynagogis nomine Jairus, & videns eum pro-

cidit ad pedes ejus.

Ibid. n. 2. 3. Et deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea in extremis est, veni impone manum super eam, ut salva sit, & vivat.

Ibid. n. 2. 4. Et abiit cum illo, & sequebatur eum turba multa & comprimebant eum.

Luc. 8. n. 1. 4. Et ecce vir cui nomen Jairus, & ipse princeps Synagogæ erat; & cecidit ad pedes Jesus, rogans eum, ut intraret in domum ejus.

Ibid. n. 4. 2. Quia unica filia erat ei ferè annorum duodecim, & hæc moriebatur, & contigit, dum iret, à turbis comprimebatur.

EXPOSITIO.

Hoc miraculum proximè subsequentum est post objectam calumniam à discipulis Joannis, quam antecedenti c. explicavimus. Et manifestè patet ex ipso text. *Matthæi*, hæc illo loquente ad eos, scilicet ad discipulos Joannis, ut notant Chrysof. Euthym. D. Thom. *homil. 32.* Euthymius, S. Thom. Abulensis Lyran. & communiter Recentiores; nam D. Matthæus in hac re ordinem temporis tenuit, quem Marcus, & Lucas aliis in locis hanc historiam enarrantes non sunt secuti, & alto Dei consilio dum opponebatur murmuratio discipulorum Joannis, hæc sunt miracula, quia non solum magnis rationibus, & altis similitudinibus, ut vidimus in fine superioris cap. Dominus confirmat suam doctrinam, sed etiam magnis operibus ac miraculis illam comprobat.

Ecce princeps unus, conditio personæ describitur; nam quamvis unum tantum esset templum in Hierusalem, in quo sacrificare licebat; tamen per totam Terram promissionis, ad orandum, ac ad docendum populum, multæ erant Synagogæ, & unaquæq; Synagoga suos præsidēs, seu principes habebat, & hi dicebantur Archisynagogi, talis Synagoga erat Capharnaum, ubi hæc historia contigit, unus ergo ex his Archisynagogis ut notat D. Marcus, qui & princeps Synagogæ dicitur à D. Luca; unde patet, quod falsa esset calumnia Judæorum, cum dicerent: *nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis,* Joann. 7. n. 48. & rectè, ut notat D. Anton. Ulyssip. in *Doctrinam 24. post Trin.* Hic homo dicitur princeps, quia se ipsum, suosque sensus, ac actiones novit regere, & gubernare, ut à supercilio Pharisæorum descenderet, & ad Christum veniret.

Marcus, & Lucas notant nomen viri, quod *Jairus*, dicebatur, quia vir valde notus, & magnus erat in populo, ut advertit D. Bonavent. *D. Bonav. in 8. Luc.* hoc nomen *Jairus*, ut ex radice Hebraica colligitur, idem valet, ac illuminans, seu illuminatus; ut advertunt Eusebius Gallicanus Euseb.

QUESTIO I.

Quomodo sacri Evangelistæ cohæreant in hac historia: nam Matthæus dicit defunctam puellam; Marcus, & Lucas, & in extremis.

QUÆRIT se hic magna difficultas, & satis ardua apud Auctores, quomodo Matthæus scribat Archisynagogum dixisse: *filia mea modo defuncta est,* & Marcus dicat quod erat in extremis, Lucas verò, quod moriebatur. In hac re explicanda varæ sunt sententiæ, ac dicendi modi.

Respondent primò D. Chrysof. *hom. 32.* Theophylactus, quando Archisynagogus è domo sua exivit, filiam nondum mortuam esse, sed defunctam dicit, quia suspicabatur mortuam, solent enim afflicti, ac miseri ærumna suas augere, & calamitates exaggerare, ut facilius opem, quam exoptant, impetrent; præcipuè, quia hæc puella erat multum amabilis patri, & quod ardentè amamus de illius periculo desperamus.

Secundò, D. August. *2. de consensu Evang. cap. 28.* Paschas. *lib. 5. in Matth.* Beda hic docent Archisynagogum dixisse filiam suam in extremis esse, ut Marcus, & Lucas, scribant. At mente Pater conjiciebat filiam, quam agonizantem reliquerat, & de cujus salute jam spem amiserat, tempore itineris sui esse defunctam, quod dicit Matthæus.

Tertio Abulensis. *quest. 88.* quem sequuntur multi Recentiores. Maldonat. Francisc. Lucas, Cornelius à Lapide, quod Matthæus breviter Frans. Luc. consules, potius substantiam rei, quam feriem Cornel. à Lapide. historiae enarrat; nam quando iste Archisynagogus accessit ad Christum, deprecans, ut veniret, & imponeret manum super filiam, adhuc illa non excefferat è vita, siquidem pergens ipse cum Jesu in domum, ut constat ex Marco, & Luca, accepit nuntium de morte filia, de cujus vita jam spes erat amissa, & ideo dicebant servi; *Noli vexare Magistrum,* sed ipsum relinque; tunc Jairus ad fidem excitatus à Christo, ac in illa confirmatus pro filia mortua rogat dicens: *modo defuncta est, veni impone manum, & vivet.* Unde isti Auctores dicunt, quod ita historia texenda est. Primò petivit, restitui sanitati filiam in extremis laborantem, postea verò à llato nuntio de ejus morte, ac erectus ipse à Christo in magnam spem pro filia defuncta rogat, apertis verbis, vel desiderio, ut à Domino suscitetur, ut scribit Matthæus, qui in exordio ponit id, quod in progressu historiae factum est. Hæc sententiæ probabiles sunt.

Quarta, & ultima sententia mihi simpliciter verisimilior, tenet Archisynagogum omnia dixisse, ut narrat sacri Evangelistæ, v. g. *veni, filia mea in extremis, vel modo defuncta est;* hæc sententiam tradunt Euthymius *hic,* Euthym. Toletus *in 8. Luc. à n. 88,* sic nulla est discordia Tolet. inter sacros Evangelistas, sed omnia optimè cohærent, nam unum relatum est à Matthæo, alterum à Marco, & Luca, & ita locutus est Archisynagogus, quia, quando è dono egressus est revera filia erat in extremis, & ait in itinere accepit nuntium de ejus morte, & addidit, *filia mea modo defuncta est,* & Marcus dicit quod erat in extremis, Lucas verò, quod moriebatur. In hac re explicanda varæ sunt sententiæ, ac dicendi modi.

Paschas. Alb. Magn. S. Thom.

Victor.

4. D. Thom. Magna personaliter agenda.

Zach. Episc.

Pharisæorum confusio.

5.

Anr. Ulyssip. Tria notanda.

Bonavent.

Eccles. 4. 6. D. Thom.

Bona responsio, non verbis, sed operibus.

Chrysof.

Sylveira in Evang. Tom. II.

7. Ratio difficultatis.

8.

Chrysof. Theophyl. Afflicti, ac amantes suorum arum nas, amplissimè.

9.

August. Paschas. Beda.

10.

Abulens. Maldonat. Luc. Cornel. à Lapide.

Quomodo concordent Evangelistæ.

11. Vera explicatio.

Qui ardentem amantem, eorum mala graviora judicamus.

12. In amantem aspexit semper malum angitur.

13. Gen. 42.

Amans dum parum perdit Jacob, ait, ad modum eorum, qui intente diligunt totum existimat perdidit.

vel modò defuncta est, quia ita existimabat, cam ultimam spiritum agentem reliquisset; vel quia mala eorum, quos intemè diligimus, semper graviora, ac majora nobis videntur, ut ex quolibet malo illato totum consumptum judicemus.

De puero Centurionis dicitur Luc. 7. num. 2. Servus malè habens, erat moriturus, qui illis erat pretiosus. Sed unde cognovit bonus dux, quòd puer erat moriturus; siquidem multi, qui jam judicantur in ultimo spiritu constituti, sapè mortem evadunt? Unde ergo hoc deprehendit? Verùm fateor ex gravitate morbi; tamen iste servus erat centurioni pretiosus, hoc est, ut explicat D. Bonaventura, multum charus, ac amabilis, & ex tanto amore in ejus oculis maximè periculum augebatur.

Cùm à Jacob postulerent filij ejus Benjamin, ut ipsum ducerent in Ægyptum. Ait Jacob, Absque liberis me esse fecistis, Joseph non est super, Simeon tenetur in vinculis, & Benjamin auferetis, Gen. 42. num. 36. Quomodo Magnus Patriarcha hæc loquitur; nam quamvis Simeon sit in vinculis, Benjamin auferatur in obfidem, adhuc non sunt morte interempti, & gravius augetur dubium, quia, quamvis illi tres essent ablati, tibi novem incolames superfunt; quomodo ergo asseris te omnibus filiis esse orbarum, cum tantum tribus careas? ita ardentem natos suos diligebat Jacob, quod agnoscens, quid incommodi eis accideret; jam tanquam mortuos deplorabat, ut obfides Benjamin, ac vincula Simeonis aculeos mortis crederet. Carthusian. Loquitur parum perdit Jacob, ait, ad modum eorum, qui intente diligunt totum existimat perdidit.

res suas, utpote sobolem, sive pecuniam, quarum cum partem amiserint, ita conqueruntur, ac dolent, quasi totum perdidissent.

QUESTIO II.

Quare ex tribus mortuis, quos Dominus suscitavit, pro hac sola puella deprecatur?

14. Euseb. Tria mortuorum genera suscitavit à Christo.

RES mortuos suscitatos à Domino legimus, hanc filiam Archisynagogi, adolescentem filium viduæ Nain juxta portam civitatis, Luc. 7. n. 14. & Lazarum quatuor jam dies in monumento inclusum, Joan. 11. n. 43. Quod eleganter meditatatur Eusebius Emillenus ferm. de Lazaro feria 6. post 2. Dominicam Quadragesimæ. Per hos enim tres, ait, mortuos, tria mortis genera significantur; moritur enim homo prava, & illicita cogitando: moritur malè operando: moritur in peccatis perseverando. Cogitas aliquid agere, quod non licet: mortua est anima tua; quia lateat peccatum, & nondum divulgatum est; si verò cogitationem ad effectum perducas, non solum mortua est, sed jam extra civitatis portam elata, & per peccatum ab Ecclesia separata, & perditioni proxima est. At verò ille, qui peccatum aliquod magnum commisit, & multo tempore in eo perseverat, non solum mortuus est, & sepultus; verum etiam fuerit, quia ejus transgressum jamam circumquaque audire debet. Omnes enim hos suscitavit. Jesus si à peccato se abstinuit, & ex corde peccata. Idem antea docuit Hieron. Antioch. 2. Allegor. in Evang.

Hic tamen in questionem ponimus; Cur inter hos tres, pro sola hac puella, pater rogat, ac exorat; nam pro adolescente, juxta portam civitatis Nain, nec mater, nec alius fundere preces ausus est, quamvis illa, ut mater multum lachrymaret, ut pater ex citato loco Luc. De Lazaro verò res est multò evidentior; nam quamvis foetores vehementer plorarent; pro eo tamen resuscitando nullas obtulerunt preces. Imò apertioni sepulchræ obstitit Martha. Jam fuerit, quatuordecim annis est, citato loco Joann. 11. num. 39. Cur ergo pro aliis mortuis, nec mater, nec sorores obsecrant, sed solum pro hac puella defuncta pater exorat. Rationem colligo ex citatis verbis Emilleni. Hæc puella significabat peccato em adhuc domi inclusum, non verbò multo usu, ac consuetudine inveteratum, ad sepulchram tendentem vel jam in peccatis sepultum, ut Lazarum, seu, ut aliter dicam, Puella adhuc erat domi, & peccatores occultum, & absconditum adumbrabat; & adolescens, & Lazarus manifestum delinquentem in porta civitatis, vel patenti campo denotabat, & si pater pro illa rogat; nullus tamen pro istis deprecatur, quia publica peccata maximè negotiantur, ac sollicitam divinam justitiam, ut tantum malum, quod aliorum peperit offensam, & scandalum, puniuntur videatur, & ideo pro eo quilibet orare reformidat.

Urgente tempestate omnes navigantes orationi instabant, Jonas tamen solus dormiebat, cui nauclerus ait. Quid tu sopore deprimeris? Surge, invoca Deum tuum, Ioan. 1. n. 6. Locum explicat Theodoret, dicens: Preces adhibere Deo suo cogit; ignorans fugam, fiduciam hanc illi sustulisse. Ob evidens periculum misericordiam à Deo omnes implorabant, tamen Propheta non deprecatur, sed dormit; fuga enim illa publicum, ac notorium fecit suum peccatum, ut ponderat ibi Rupert, quia inobediens à Dei mandato recessit, & manifestata iniquitas omnem animum, ac fiduciam exorandi ab illo exclusit, ac amovit.

Ait Dominus ad Hieremiam cap. 7. n. 16. Tu ergo noli orare pro populo hoc, ne effundas pro eis laudem, & orationem, quia non exaudiam te. Valde mirum, quòd populo Judaico prohibeat Dominus orationem Propheta. Et tamen Dominus voluit, ac disposuit, ut Job pro amicis suis oraret, contra quos divinus furor iratus erat, eo quòd non essent locuti recta, sicut Job. 42. n. 7. & ex gravissima causa divina ira contra eos erat concitata, siquidem temerè hominem sanctissimum Job condemnarunt, ut ponderat ibi Pineda, & tamen pro eis mandata Dominus orare, Prophetam autem vetat effundere preces pro populo; hujus prohibitionis rationem Dominus reddidit, subdens immediatè. Nonne videt, quid isti faciunt in civitatibus Juda, & in plateis Hierusalem, ibidem n. 17. Temeraria loquutio amicorum Job erat veluti in occulto; nam ipsi tantum tres cum Job agebant. At peccatum judæ erat publicum, ac notorium in civitatibus, ac plateis; manifesta autem flagitia vehementer sollicitant divinum furorem, ut omnem aditum orationis videantur intercludere, ut malum in omnium oculis perpetratum, in omnium aspectu recipiat vindictam D. Hieronym. Vis, inquit Dominus, audire Propheta, cur tibi dixerim: Noli orare pro populo hoc? Hæc faciunt, qua

15. Ioan. 11.

Peccatū consuetum, ac publicum dicitur, remissitur.

16. Ioan. 1. Theodor.

Publica peccata orandi fiduciam tollunt.

17. Hierem. 7.

Pineda.

Notoria delicta orationis aditum intercludunt.

Hieronym.

qua secantur: intus, & foris, & in plateis, & exi-ribus Hierusalem.

QUESTIO III.

Quare iste pater tam morosè, ac serò agat de salute filia, ut post obitum ejus ad Christum venerit?

18.

Ad miraculum non est recurrendū, nisi quando humana defant.

19. Homo si sua habet in humanis, de Deo obliviscitur.

20. Ut negotietur cum principibus hujus sæculi, veritas est abscondenda.

21. Ioan. 18.

Chrysof.

Cajetan.

Vi cum principibus negotia inuas, veritas sepe ignoranda.

ALDE dilecta erat hæc filia Archisynagogi, & tamen de hoc salutifero remedio, ac impositione manuum Christi, non agit, nisi jam quando filia erat in ultimo spiritu, seu demortua. Ad hoc respondeo primò, quòd in præsentis facti potest notari hominis prudentia, nam quandiu in medicorum arte, ac humana industria videbatur inveniri posse aliquod remedium, illud bonus pater sollicitabat, ac omnem affectum adhibebat. At quando filia erat in extremis, ut dicitur Marc. & Luc. & in humanis nulla jam erat spes, tunc ad Christum se confert, divinam, ac miraculosam ejus virtutem deprecans, miraculum enim tunc exoptandum est, quando humana vires defunt. Vide r. 7. n. 38. 39. & 40. & cap. 24.

Secundò potest notari humana conditio, quæ nec Deum quærit, nec ad eum accedit, quando in se, ac suis opem habet, & auxilium. Ita Archisynagogus quandiu in hominum industria, ac arte videbatur reperiri posse aliquod remedium, de Deo oblitus erat; at verò quando omnia humana defunt, tunc ad Deum venit, ejus divinam clementiam rogans.

Tertiò notari potest aulicorum ingenium, Jairus erat Archisynagogus, seu Princeps; & Medici, Chirurghi, assistentes multa cum eo habebant negotia, quæ ex ejus manu, ac nutu pendebant, & ideo omnes ejus voluntatem captare affectabant, unde nullus aperire veritatem, ac gravitatem morbi dicere audebat; noverant enim isti, quòd cum magnatibus, ac principibus, non detecta veritate, sed fucato mendacio frequenter in hoc sæculo peragitur, & hæc de causa Archisynagogus non agnovit urgentem vim morbi filia, nisi quando jam filia ultimam spiritum agebat.

Nefarius ille judex interrogavit Christum Jesum: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos, Joann. 18. n. 38. commune dubium, si Pilatus quærit, quid sit veritas, cur ejus definitionem non audit; sed ante omnem responsum statim prodit foras. D. Chrysof. homil. 83. in Joan. Jesum, ait, è Judæorum manibus eripere cogitabat; ideo exivit. Sed magis crescit dubium, quia Dominum Jesum volebat à comprehensione, ac morte liberare, ideo non expectat responsum, sed indilatè exivit ad Judæos, hoc est, ad primates Judæorum, ut explicant Cajetan. ac ad Pontifices, & Principes synagogæ, qui Archisynagogi vocabantur, ut jam notavi. Ex industria hoc factum videtur à Pilato; nam ille exivit, ut de dimissione Christi cum illis magnatibus tractaret, & agnoverat ipse, quòd ad negotiandum, ac peragendum aliquid cum illis Principibus, ac Pontificibus valde perutile, ac necessarium esset, veritatem ignorare, ac nescire, nam si eam in ore asportasset, nil negotij ferer.

Sylveira in Evang. Tom. 11.

22. Luc. 16.

Erat quidam homo dives, qui induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendide, Luc. 16. n. 19. Hic cum esset sepultus in inferno, vidit à longè Abrahamum, & ait illi. Rogo te Pater, ut mittas eum, scilicet Lazarum, in domum Patris mei, habeo enim quinque fratres, ibidem n. 27. Rectè D. Chryf. homil. 1. de Dives, hunc arguit de mendacio. Vide per veritatem, ait, nec in istis penis contineri veritatem. Vides enim quid dicat? Rogo ergo te Pater. Ergo Pater est Abraham: quomodo dicit, mitte in domum patris mei. Nullus enim homo habet duos patres; miror malitiam homini, multo magis audaciam, quomodo audeat mendacium dicere Abrahamo, quem in sublimi gloria cum Angelis videbat, non enim poterat ipse ignorare, quòd Patriarcha apertè, & distinctè illa omnia agnoscebat, quod etiam in anima separata multi concedunt, ut videbis apud Suar. lib. 6. de anima cap. 6. & 7. Quomodo ergo tam apertè, verbis suis à veritate declinat. Dives iste assuetus erat multis mendaciis, ac fallaciis multa negotia obire cum principibus, magnatibus hujus sæculi, & idè dives erat, & multam substantiam acquisiverat; cum ergo vidisset Abrahamum in tam amplifico principatu cogitavit etiam mendacia dicere, an si forte cum illis aliquid cum sancto Patriarcha negotiari valeret. sed fecellit illum iniquitas sua.

QUESTIO IV.

Quare Archisynagogus non petat à Christo ut resuscitet filiam, sed ut ei manum imponat.

LANA, ac manifesta est hominis intentio, Christi adventum in domum suam exorabat, ut demortuam filiam ad vitam revocaret, cur hoc apertè non ait, sed tantum dicit. Veni, impone manum tuam, & vivet; seu, ut habet Marcus. Impone manum super eam, ut salva sit, & vivat.

Respondet primò D. Chrysol. ferm. 33. Creditur ergo Deo, ait, quia eadem manu, qua creatam senserat filiam recreari, ac reduci posse ad vitam noverat: veni, & impone manum, ut qui sponte posuit, ad creandum, ad reparandum iterum exoratus impetrat; & idem habet D. Pasch. l. 5. in Matib. & addidit. Quia qui posuit, cum formaret ex nihilo deposuit, ut imponat iterum manum, & reformet eam de perditione. Non postulat Archisynagogus, ut filiam resuscitet, sed ut tangat, recordabatur, quòd in exordio Deus hominem manibus suis efformaverit; Manus tua fecerunt me, & plasnaverunt me totum in circuitu, Job 10. n. 8. Cùm hoc haberet in mente Jair, bene conscius erat Dei morem esse, primam benevolentiam multis beneficiorum incrementis multiplicare, & augere; ergo si divine manus hominem è nihilo in pulchram Dei imaginem effinxerunt, ipsamet omnipotentis manus hominem infirmitate oppressum, vel morte dissolutum redintegrabunt, ac in perfectam salutem restituent.

Secundò agnoverat Archisynagogus carnem Christi habere vivificam vim, ac spiritum vitæ; postulat ergo, ut filiam tangat, tanquam certus, quod ex tactu illius sanctissima carnis, spiritum

FFF 2 vitæ